

1987-03-29 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Si Mundus’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

SI MUNDUS

**VENERABILI FAMULIS DEI MARIAE PILAR A SANCTO FRANCISCO BORGIA
DUABUSQUE EX EADEM RELIGIOSA FAMILIA SOCIIS
BEATORUM MARTYRUM HONORES DECERNUNTUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – «Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus» (*Io* 15, 18-19). Ita non numquam, in Christi discipulos saevit odium et exarsit, ut et eorum mortis causa id fuerit. Id ipsum accidit haud ita pridem Famulis Dei Mariae Pilar a Sancto Francisco Borgia, Mariae Angeli a Sancto Iosepho et Theresiae a Iesu Infante, quae, ardenti incensae caritate magnaue actae studio divinum Magistrum per omnia imitandi, suum libenter sanguinem effuderunt, ut regnum eius confirmarent in mundo, ubi Malus dominari videretur. Cuiusmodi in Deum fidelitatis amorisque testimonium illae quidem iam dudum paraverant, quod statuisent se Dominum secuturas, quocumque ducerentur. Ita igitur effectum est, tenebris crassetibus eisque male minantibus, ut mortem ne timerent; confidebant enim suum sacrificium cum Christi immolatione sociatum et gloriae Deo et spiritali magno emolumento Ecclesiae fore, probe profecto scientes praeclara verba: «Nisi granum frumenti ... mortuum fuerit, ...; si ... mortuum fuerit, multum fructum affert» (*Io* 12, 24). Singulae eae ipsae, seu tres Carmelitae Discalceatae, quae ad Guadalaiarensis pertinebant monasterium Sancti Iosephi in Hispania, modestae erant atque humiles, mites ac debiles, negotiis temporalibus suaeque Civitatis rebus socialibus prorsus alienae, uni Deo oratione et caelestium cogitatione deditae. Neminem laeserunt umquam, quin etiam operam dabant, ut omnibus adiumento essent diem ac noctem; perpetuumque sacrificium laudis in solitudine silentioque Deo offerebant, necnon copiosos sanctitatis fructus ferebant, pacis causa atque salutis. Quod tamen eis erat ornamento et gloriae, id criminis loco putatum est, quodque cuilibet tum admirationis tum grati animi census excitare debuit, id contra causa exstitit, cur eae vexarentur. Una enim causa, ob quam tam turpiter crudeliterque interfectae sunt, in hoc erat: ipsae erant Christi sponsae selectaeque partes Ecclesiae necnon vivae imagines supernarum rerum aeternarum. Trium Religiosarum holocaustum tum consummatum est, cum (annis MCMXXXVI-MCMXXXVII) belli civilis incendio Hispania conflagrabat, tum scilicet cum illic Ecclesiae hostes, omnem iustitiam destruentes necnon libertatem vitamque subruentes, terrorem Christifidelibus inferebant ac mortem. Nihilo minus pax in Carmelo erat Guadalaiarensi, ubi re vera caritatis arbor haud deflorescens perennes ferebat fructus christianarum virtutum, veniae et impetrationis et paenitentiae. Moniales interea, cum consciae essent se admodum laboriose vivere, animo vel maiore nutibus serviebant divinis, promptaeque etiam erant ad acerbum emetiendum Calvariae iter ad suamque fidem coram omnibus testandam. Suis ornatis lampadibus Sponsam exspectabant (cf. *Mt* 25, 10), ut, cum primum vocatae essent, intrarent in Regnum eius. Neque diu fuit exspectandum, quia vox Sponsi dulcissima ab eis auditis est dicentis: «Venite, ..., possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi» (*Mt* 25, 34). Secreto eousque vixerant quidem, at mors, quam heroum in modum passae sunt pro Christi nomine, effecit ut notae in omnibus terrae regionibus haberent gloriae dignae ac immortalis memoria. Ad immensam mine pertinent eorum multitudinem «qui laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agno» et ante thronum Dei «clamant voce magna dicentes: – Salus Dei nostro qui sedet super throno, et Agno – (*Ap* 7, 10-14). Earum vita simplex a pueritia fuit ac pia. Soror Maria Filar a Sancto Francisco Borgia, cui Iacoba Martínez García saeculare erat nomen, Turiasone in provincia Caesaraugustana die XXX mensis Decembris nata est anno MDCCCLXXVII, Carmelum ingressa est anno MDCCCXCVIII, sacraque deinde vota die XV mensis Octobris nuncupavit anno MDCCCIC. Assiduum ostendit studium cum in servandis Regulis, tum in officiis sibi creditis in sacrario explendis ad rotamque, laborans quoque ut spiritalia caelestiaque omnia redderet ob amorem Dei. Vivida eminebat fide ardentique in Eucharistiam pietate, eratque pariter cellae studiosissima ac taciti laboris. Artis acu pingendi perita erat suamque ad Communitatem fuit perutilis. Adstante periculo, aperte dixit se mori potius velle, quam impie quidquam in Dominum admittere, hisce tunc additis: «Ad martyrium si perductae erimus, canentes ibimus, sicut nostrae Compendii martyres»; postremis diebus (proprieque die XXII mensis Iulii anno MCMXXXVI) se Deo pro Sororum salute et incolumitate hostiam devovit. Soror Maria Angeli a Sancto Iosepho, cui Marciana Valtierra Tordesillas saeculare nomen erat, «Getafe» in provincia Matritensi die VI mensis Martii nata est anno MCMV, Carmelum anno XXV aetatis suae est ingressa, dieque XXI mensis Ianuarii primum Deo se devovit ac tribus post annis vota nuncupavit perpetua. Cumque firmo vehementique animo ad perfecta, seu ad sanctitatem, contenderet, Regulam diligentissime servabat, intenta quidem ac sedula, neque a parvis deficiens rebus; studio etiam speciali spiritum humilitatis et paupertatis et oboedientiae colebat, alacriterque Missiones adamabat. «Mi Deus, – ita scripserat –, vitam meam inter martyrii dolores

accipite veluti mei erga vos amoris testimonium, sicut tot accepistis, qui, cum vos dilexissent, hac ipsa de causa perierunt». Olim, cum lectionem audivisset de martyrii praestantia, rem sic commentata est: «Quanta est eiusmodi fortuna ! Non hac tamen gratia sum digna ! Opertet eam assequar fidelis super parva». Ea deinde nocte, quam dies mensis Iulii XXIV consecutus est anno MCMXXXVI, serva Dei exclamavit: «Utinam simus martyres !». Soror Theresia a Iesu Infante, cui Eusebia García García nomen erat saeculare, in oppido «Mochales», quod ad provinciam pertinet Guadalaiarensis, die V mensis Martii nata est anno MCMIX, Carmelum anno XVI aetatis suae ingressa est, primumque Deo die VII mensis Novembris se devovit anno MCMXXVI, anno autem MCMXXX vota nuncupavit perpetua. Acriore praedita ingenio, secum ipsa certavit, in viaque sanctimoniae magnopere profecit; in caritate colenda industriam specialem posuit, impigreque, ut coram Deo semper viveret, operam dabat. Cumque eius esset de Communitatis valetudine providere, pro tali idcirco munere Sororibus, quae aegrotarent, amanter assidebat ac delicate, gaudens quod in aegrotis Christo serviret. Patibilis erat artisque musicae sane perita. Pluribus tempestatibus, ita ut et aliae moniales, se aperte dixit sanguinem propter Christi triumphum fundere velle. Ita sere expedierant ad bibendum passionis calicem, quem singulae certo biberunt (cf. *Mt* 10, 38). Die XXII mensis Iulii anno MCMXXXVI, ubi iam vesperaverat, omnes Carmelitae Sorores Monasterii Sancti Iosephi, saeculari more vestitae domicilium privatis in aedibus sibi praecavendi causa collocaverunt. Biduo post, seu postmeridiano XXIV mensis Iulii die, quo Beatarum XVI Martyrum Carmelitarum Compendiensium liturgica memoria celebrabatur, nominatae tres Christi discipulae, incumbentis sibi martyrii insciae, sui itineris ad Calvariae locum postremas emeritae sunt partes; tunc enim, cum per urbanam Guadalaiarae viam una simul percurrerent ad tutius petendum perfugium, inciderunt in seditiosorum militum manipulum, quaedamque ibi mulier aetatis nondum adultae, quae ad eorum factionem pertinebat, ad socios conversa: «displodite, – clamavit –, quia moniales sunt illae !». Omni humanitate deposita, insecuri sunt eas, primamque trium Sororum tormentis Mariam Angeli a Sancto Iosepho ceciderunt, quae, nullo verbo dicto, statim defecit. Deinde Soror Maria Pilar a Sancto Francisco Borgia ab iis vulnerata humi procubuit mussitans «vivat Rex Christus !»; iterumque ab insecuratoribus est caesa, sed tamen non interfecta. Ipsa ad vicinam pharmacopolam et ad valetudinarium delata est, turba concomitante atque clamante: «agitedum, morte afficite eam!». Corpus eius totum acceptis plagis confossum est, ita ut ea paulo post, suis ignoscens interfecto, pie ad Deum abierit. Postrema victima Soror fuit Theresia a Iesu Infante, quae, cum eorum sordidas repudiasset condiciones, ad hoc est ab illis sollicitata, ut «vivat communismus !» exclamaret, at, cum contra «vivat Rex Christus !» clamare coepisset, tunc ignivoma manuballista necaverunt eam. Servae Dei per angustam portam artamque viam (cf. *Mt* 7, 14) ad plenam pervenerunt mysterii paschalis participationem; cursus enim, quem ad comprehendendum bravium susceperant (cf. *I Cor* 9, 24), celeriter ad metam seu ad vitae fontes aquarum (cf. *Ap* 7, 17) contigit. Haec omnia tum populo Dei patebant, tum praesertim Carmelitarum Ordini, apud quem re statim tres illae moniales fidei martyres habitae sunt verae. Cumque martyrii cresceret fama, annis MCMLV-MCMLVIII informativo quem dicunt Processui Ordinario instruendo prius apud archiepiscopalem Curiam Toletanam, deinde apud episcopalem Seguntinam-Guadalaiarensis data est opera. Die XIV mensis Februarii anno MCMLXII Decretum super scriptis, quae iisdem tribuebantur Servis Dei, editum est, annoque MCMLXXX edita sunt Decreta super non cultu et super Ordinarii Procesuss validitate. Felici autem exitu posthac cum in Peculiari Congressu Theologorum Consultorum die XII mensis Novembris anno MCMLXXXV, tum in Ordinario Coetu Patrum Cardinalium et Episcoporum die XXI mensis Ianuarii anno MCMLXXXVI peracta est recognitio de coniecto earumdem Sororum martyrio, Nostroque denique Decreto die XX mensis Martii eo ipso anno ediximus verum eas ac certum tulisse martyrium. Demum, die Beatificationis statuta, hodie mane Beatificatio acta est cum earum, tum Marcelli Spinola y Maestre et Emmanuelis Domingo y Sol; qua re hic in Basilica Petriana hanc formulam elocuti sumus inter Sacra: «Nos, vota fratrum nostrorum Iesus Pla Gandía, Episcopi Seguntini-Guadalaiarensis, Caroli Amigo Vallejo, Archiepiscopi Hispalensis, Riehardi Mariae Caries Gordo, Episcopi Dertosensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Maria Pilar a Sancto Francisco Borgia, Maria Angeli a Sancto Iosepho, Theresia a Iesu Infante et a Sancto Ioanne a Cruce, Marcellus Spinola y Maestre et Emmanuel Domingo y Sol, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Mariae Pilar a Sancto Francisco Borgia, Mariae Angeli a Sancto Iosepho, et Theresiae a Iesu Infante et a Sancto Ioanne a Cruce die vicesima quarta Iulii; Marcelli Spinola y Maestre die decima nona Ianuarii; Emmanuelis Domingo y Sol die vicesima quinta Ianuarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Qua sollempni quidem prolata sententia studiose sumus verbis item Nostris cuiusque Beati Beataeque caelitis pertexere tum vitae curriculum tum maxime sanctimoniae documenta indiciaque virtutum, unde digni sunt illi ab Ecclesia Matre habiti qui tam, excelsum obtinerent inter Iesu Christi adsectatores locum unaque cum pientissimis omnium gentium christifidelibus perquam libenter eosdem Beatos Beatasque publico cultu primi sumus venerati ac fidenter precati caelitus ut peregrinantem tuerentur Ecclesiam suisque exemplis et praeceptis evangelii viam per huius mundi incerta demonstrarent.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Martii, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis

